

gratiæ et vitæ æternæ, quod solum est proprium meritum de condigno, de quo nunc tractamus. Ita sentiunt Theologi citati, et expressius attigit Cumel., 1. 2, quæst. 114, art. 1, disp. 1, dub. penult., ante difficultatem 2, juncta disp. 3, quæst. 113, art. 3. Et probatur primo ratione insinuata, quia meritum, de quo agimus, est magnum et excellens bonum morale; ergo ex parte principii requirit causam perfectam et plenum dominium. Secundo, quia ad dispositionem ultimam gratiæ requiritur propria libertas, et usus ejus ita perfectus, ut sit in morali potestate voluntatis converti et non converti; ergo ad meritum de condigno non minor libertas necessaria est. Antecedens in superioribus sufficienter tractatum est, præsertim in lib. 3, 4 et 5, et non obscure sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 5, et can. 4 et 5. Et breviter ostendi potest, quia ad peccandum mortaliter necessaria est hujusmodi libertas; ergo multo magis erit necessaria ad conversionem excludentem tale peccatum, saltem dispositive: tum quia debet servari proportio; tum etiam quia multo difficilior et gravior est actus conversionis; tum denique quia in illo actu principaliter operatur gratia, quæ illuminando, et dirigendo, ac juvando, non perturbando rationem operatur. Et hinc facile probatur prima consequentia, quia opus meritorium de condigno apud Deum, etiam est principaliter opus gratiæ, ut videbimus, et est dispositio ad novam gratiam cum majori jure ad obtinendam illam, et suo tempore gloriam; ergo non minor libertas requiritur ad meritum quam ad dispositionem primæ gratiæ. Tertio, quia meritum consistit in obsequio voluntario; non est autem simpliciter et sufficienter voluntarium, nec Deo potest simpliciter placere aut satisfacere, nisi fiat ex plena deliberatione et potestate; ergo talis usus libertatis requiritur ad meritum apud Deum.

13. *Decisionis pars altera.*—*Probatur variis mediis et exemplis.*—Addendum vero est hujusmodi libertatis usum cum adjutorio gratiæ esse sufficientem ad meritum, neque esse necessariam deliberationem omni ex parte perfectam. Probatur primo, quia nulla est ratio vel fundamentum sufficiens ad exigendam tantam perfectionem libertatis in opere meritorio; nam sine illa potest esse voluntarium simpliciter perfectum. Item ex parte voluntatis non requiritur summa applicatio vel conatus; ergo neque ex parte intellectus necessaria est consultatio et advertentia omnino per-

fecta. Item hac ratione Angelus mereri potuit in primo instanti, quamvis non potuerit tunc uti sua libertate cum tanta deliberatione, quantam in secundo instanti habuit, ut nunc suppono. Idemque est proportionaliter in homine, ut supra tractando de gratia operante et cooperante diximus. Præterea credibile non est communem modum operandi justorum non esse sufficientem ad meritum; cur enim Deus viam salutis ita restringeret, ut libertas, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, non sufficiat etiam adjuncta per gratiam in illo gradu ad meritum? Sed justi in ordinario modo operandi virtutem non semper habent summam advertentiam vel deliberationem; satis ergo est, si operentur bonum cum ea libertate, quæ operando malum ad peccandum mortaliter sufficeret. Sicut dici solet, libertatem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, sufficere ad votum, vel professionem, aut contractum; nam simili fere ratione æqualis libertas sufficit ad jus justitiæ acquirendum, quod in merito invenitur. Denique similis libertas sufficit ad agendam pœnitentiam quæ sit sufficiens dispositio ad justitiam, quia sufficit ad moralem conversionem, aversioni peccati mortalis contrariam; ergo eadem libertas, juxta proxime dicta, ad meritum sufficit. Neque in hoc puncto gravior aliqua difficultas occurrit.

14. *Dubitationes aliæ alio remittuntur.*—Ulterius poterat hic quæri an ad meritum requiratur libertas a necessitate præcepti. Item an requiratur libertas a morali coactione per extrinsecam pœnam vel comminationem immissam. Sed hæc in cap. 5 et 13 tractantur.

#### CAPUT IV.

UTRUM SOLUS ACTUS MORALITER BONUS POSSIT ESSE MERITORIUS APUD DEUM?

1. *Assertio affirmans.*—*Probatur primo ex Scriptura.*—In principio hujus libri diximus, licet meritum de se in bonam et malam partem accipi possit, nihilominus in præsentibus per antonomasiam accipi pro merito præmii, et distinguatur a demerito seu merito pœnæ. Hoc ergo posito fundamento, per se notum est opus meritorium bonum esse debere, quia malum opus non est præmio dignum, sed pœna. Et ideo Scriptura docet in judicio divino distinguendos esse homines secundum opera, *ut unusquisque referat, prout gessit*

*sive bonum, sive malum*, 2 ad Corinth. 5; et Christus Dominus satis distincte id proposuit, Matth. 25. Unde Paulus, 1 ad Timot. 6, monet illum: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vico bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ergo sola bona opera sunt quibus homines thesaurizant in vitam æternam, utique merendo illam. Unde Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, volens doctrinam de meritis justorum tradere, dicit proponenda illis esse verba Apostoli: *Abundantes abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, 1 ad Corinth. 15. Unde inferius subdit: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna; et infra: Tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.* Et in discursu illius capituli, sæpe repetit bona opera esse quæ mercedem apud Deum merentur, quod etiam docet in cap. 11, ubi inter alia adducit illud 2 Petr. 1: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Atque idem tandem definit, can. 24 et 26, 31 et 32.

2. *Probatur secundo ratione.*—*A divisione ratio constat.*—Ratio vero hujus veritatis est, quia malum opus non est dignum præmio, sed pœna; ergo solum superest opus bonum quod possit esse præmio dignum. Quia indifferens opus vel nullum est in individuo, secundum probabilior sententiam, judicium autem operum et retributio fit de illis, ut in individuo fiunt; vel certe si opus indifferens in individuo admittatur, non est cur potius sit præmio quam pœna dignum; nam si non meretur pœnam quia caret malitia, etiam non meretur præmium quia caret bonitate; imo recte dicere possumus, eo ipso quod bonitate caret, mereri carentiam præmii, quod potius est demereri quam mereri. Et confirmatur hæc ratio specialiter in merito apud Deum, nam omne meritum apud aliquem debet esse opus redundans aliquo modo in obsequium ejus, vel saltem in obedientiam et complementum voluntatis ejus; ergo et nostra opera debent hanc habitudinem ad Deum habere, ut apud ipsum meritoria sint. Non possunt autem illam habere nisi sint honesta seu moraliter bona, quia nostra opera non possunt aliquam utilitatem vel commo-

dum Deo afferre, sicut inter homines contingit, sed solum possunt in gloriam et honorem ejus redundare, vel voluntatem ejus implere, quod nisi per bona opera fieri non potest.

3. *Repugnat opus malum esse meritorium.*—*Similiter opus indifferens.*—Dices potuisse Deum acceptare ad præmium opus hominis, etiam non bonum, quia hoc non involvit repugnantiam, et ex liberalitate ejus pendet. Respondeo: si opus sit malum, divinæ bonitati repugnat, illud, ut tale est, ad meritum acceptare, vel propter illud præmium promittere, quia hoc est vel invitare hominem ad malum, vel saltem in malo complacere, et illud velle quod rectitudini divinæ voluntatis repugnat; si vero fingatur opus nec bonum, nec malum, præterquam quod hoc repugnat rationali naturæ, ut tanquam probabilius supposui, multo magis repugnat divinæ sapientiæ, propter illud præmium promittere, quia esset provocare homines ad modum operandi vanum, et non secundum rectam rationem. Quod quidem intelligendum est de opere indifferente, in sua indifferencia manente; nam si Deus præciperet homini opus alias de se indifferens, tunc optime posset propter tale opus beatitudinem promittere, tanquam propter verum meritum, quia jam tale opus factum ad voluntatem Dei implendam, non esset indifferens, sed bonitatem saltem obedientiæ participaret. Manente autem opere indifferente in individuo, non est capax meriti apud Deum, quia nullam rationem obsequii habet respectu Dei, neque aliquid dignitatis unde illi moraliter placere possit, ideoque, ut dixi, non est consentaneum sapientiæ Dei, propter illud, quia tale est, præmium promittere, imo nec tale opus postulare, ut necessariam conditionem ad bonum aliquod ab ipso obtinendum. Quod si per impossibile id faceret, adhuc non esset in tali opere vera ratio meriti, quia nullum haberet moralem valorem, nec dignitatem ob quam opus esset laudabile, aut præmio dignum. Unde, illa hypothese data, esset illa conditio de se quidem impertinens, voluntarie tamen postulata ad liberalem promissionem seu donationem, sicut super de opere necessario dicebamus. Est ergo bonitas moralis intrinseca et essentialis conditio operis meritorii, non minus quam libertas. Neque in hoc dissentientem Theologum nec difficultatem alicujus momenti invenio.

4. *An actus meritorius aliquam patiat*

malitiam? — *Suadet pars affirmans.* — Dubitari autem solet circa veritatem hanc, utrum ad meritum requiratur tam pura bonitas moralis, ut nulla sit in actu malitia? Contingere enim posse videtur ut opus ex objecto bonum malitiam aliquam ex circumstantia habeat, ut si quis oret in loco indecente vel tempore importuno, vel si det eleemosynam, aut jejuset, observando quidem medium misericordiæ, aut temperantiæ, ex affectu tamen alicujus gloriæ vanæ. Nam in his et similibus operibus secerni potest bonitas a malitia; ergo, sicut propter malitiam accidentalem operis homo est dignus aliqua pœna, ita propter substantialem bonitatem erit dignus aliquo præmio. Confirmatur primo, quia interdum legimus in Scriptura dedisse Deum præmium propter malum opus bona intentione factum, ut de obstetricibus, Exod. 4, et de Raab, Josue 2 et 6, et ad Hebr. 11. Idem de rege Babylonis, ex Ezechiel. 29 sumitur. Confirmatur secundo, quia alias vel nulla vel rara justorum opera esse possent meritoria apud Deum, quia vix est qui bonum aliquod opus sine aliqua negligentia aut levi culpa faciat, juxta illud Isai. 64: *Quasi pannus menstruata, universa justitiæ nostræ; consequens autem videtur difficile creditu, et alienum a benignitate, imo et justitia Dei, ad quam perlinet exacte discernere inter bonum et malum, et unicuique parti tribuere quod suum est. Atque ita videntur sensisse aliqui Theologi, ut refert et sequitur Almaïn., tract. 1 Moral., c. 12, qui tam de bonitate et malitia quam de merito disputat.*

5. *Varia quæstiones in proposito dubio involvuntur.* — Unde ad hujus dubii resolutionem varias quæstiones hic distinguere oportet. Aliud enim est quærere, an idem actus humanus simul esse possit bonus et malus ex diversis capitibus, et est prima quæstio. Aliud vero est quærere (et est secunda quæstio) an, ex hypothesi quod talis sit, possit, quatenus bonus est, esse præmii meritorius apud Deum. Deinde tertio loco, aliud est quærere, an idem actus possit esse meritorius, etiamsi aliqua ex parte sit peccaminosus; et aliud, an in eodem momento in quo aliquis per actum bonum meretur, simul possit aliquem malum actum exercere, qui vel circa aliam materiam, vel etiam circa ipsummet bonum actum internum vel externum versetur, et nihilominus meritum ejus non impediatur, quæ est quarta et ultima quæstio.

6. *Assertio secunda, in ordine, respondens*

*primæ quæstioni.* — *Vide auctorem in tract. de Bonit. et malit., disp. 8.* — In prima ergo quæstione mihi semper longe probabilius visum est non posse eundem actum esse formaliter bonum et malum, sed, eo ipso quod male fit ex quocumque capite, simpliciter malum esse, nullamque bonitatem moralem obtinere, quantumvis objectum moraliter bonum et honestum habere videatur. Hæc est sententia D. Thomæ, 1. 2, quæstion. 18, art. quarto, ad tertium, et quæstion. 19, artic. 7, ubi de hac re ex professo disputatur. Nunc autem breviter declaratur, supponendo totam formalem malitiam vel bonitatem actus humani esse intrinsece in actu interiori voluntatis, in exteriori autem solum per denominationem ab interiori, a quo imperatur, sicut etiam de merito paulo post dicemus. Unde fit ut actus exterior imperatus ab uno actu interiori non possit esse simul bonus et malus, si interior talis esse non possit. Quod autem interior non possit esse simul bonus et habere malitiam, probatur quia, ut interior actus sit bonus, non satis est velle bonum, nisi intendatur quia bonum et honestum est, quia internus actus non accipit speciem a materiali objecto, sed a formali. Si autem finis vel objectum bonum intendatur quia bonum et honestum est, non potest in actu esse aliqua malitia, quia neque objectum est simpliciter bonum, nisi omnibus circumstantiis debitis sit affectum, quia bonum ex integra causa, sicut non est pulchrum cui deficit aliquid ad pulchritudinem requisitum, juxta Augustinum, octavo de Trinit., capite tertio; neque etiam intentio honesta, et in motivo honesto vere fundata, potest imperare aliquid turpe, neque voluntarie admittere circumstantiam pravam; neque denique judicium prudentiæ, quo regulatur omnis actus quatenus talis est, potest in eodem actu inordinationem admittere.

7. *Assertio tertia in ordine.* — *Probatur primo ratione, deinde variis testimoniis.* — Hoc ergo fundamento posito, clara est absoluta dubii in numero quarto positi in hac parte resolutio, nimirum actum ex circumstantia malum non posse esse meritorium apud Deum. Probatur, quia talis actus est simpliciter malus, et non bonus; ergo non est capax meriti; nam ostensum est de ratione meriti esse ut sit opus bonum. Potestque ulterius hoc probari ex verbis Christi, Matth. sexto: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui merce-*

*dem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et infra de facientibus eleemosynam, vel orantibus publice, ut videantur vel honorentur ab hominibus, et de jejunantibus simili modo dicit: *Receperunt mercedem suam*, utique obtinendo bona temporalia, quæ intendunt, ut tacite exponit Augustinus libro quinto de Civit., capit. decimo quinto; omnia autem illa opera, de quibus loquitur Christus, sunt bona ex objecto seu materialiter sumpta, et nihilominus propter malitiam ex circumstantia nullius sunt meriti apud Deum, et ita notant ibi omnes Patres. Unde optime dixit Prosper, libro tertio de Vita contemplat., capit. decimo quarto, in ultima examinatione, *non quid, sed propter quid faciamus*, quærendum esse; non quod non sit etiam admittendum quid faciamus, sed quod unum sine altero non sufficiat. Unde idem Prosper, in epistola ad Demetriad., circa finem, ait quod inflatio et ambitio possunt destruere eleemosynas, et evacuare martyria, et ideo veram humilitatem esse omnium virtutum inexpugnabilem fortitudinem, quia nimirum disponit hominem ad servandam in suis operibus rectam intentionem, sine qua nec vera virtus nec meritum apud Deum esse potest. Unde est illud Gregorii, homil. duodecima de Evangel., de parabola decem virginum: *Compellor dicere ut bona quæ agitatis cum magna cautela teneatis, nec per hoc quod a vobis rectum geritur favor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, et quod foris ostenditur intus a mercede evacuetur.*

8. *Probationes adductæ concludunt de quavis mala circumstantia actus.* — Dices hæc testimonia solum probare de circumstantia finis. Respondeo eandem esse rationem de quacumque alia quæ interiorum actum malum reddat, quia finis malus, etiamsi sit extrinsecus (qualis est ille qui est propria circumstantia operis) ideo privat opus omni merito, quia conferendo operi malitiam suam, privat illud omni bonitate; sed hoc ipsum facit omnis circumstantia quæ internum actum malum reddit, juxta principium positum; ergo similiter privat actum omni merito. Et confirmatur ac declaratur, quia circumstantia non dat actui interiori malitiam, nisi quatenus aliquo modo transit in rationem objecti, quia oportet esse volitam; objectum autem vel habet rationem finis intrinseci, vel certe non minus est efficax ad inficiendum actum quam sit finis extrinsecus; ergo si finis malus extrinsecus ita inficit actum, ut evacuet illum omni

merito, idem facit quælibet circumstantia mala conjuncta proximo objecto.

9. *Expeditur dubium in confuso positum num. 4.* — Denique, supposito dicto vero fundamento de malitia morali, quod omnem bonitatem moralem in actu interiori destruat, cessat principale seu totale dubium propositum, quia in ipso ejus titulo falsum supponitur, cum actus moralis non possit esse simul bonus et malus moraliter, etiam ex diversis capitibus, ut dictum est. Unde quando dici solet actum ex objecto bonum fieri malum ex circumstantia, ut verus sit sermo, non est accipiendus in sensu composito (ut sic dicam), scilicet, quod idem actus internus, retinens bonitatem, quam posset habere ex objecto, fiat ex circumstantia malus; hoc enim improbavimus; sed debet accipi in sensu diviso, scilicet, quod actus, qui ex objecto posset esse bonus, vel esset bonus si mala circumstantia careret, illa adjuncta fit malus, et desinit esse bonus, quia, licet versetur circa objectum materialiter bonum, non tendit in illud, quia honestum est; nam si hoc modo tenderet, non admitteret circumstantiam malam. Unde fit etiam (quod notandum est) ut, cum dicitur actum, bonum ex objecto, ex circumstantia fieri malum, non esse intelligendum de uno et eodem actu interiori in individuo qui male fit, sed confuse de actu qui circa tale objectum materiale fieri potest. Nam loquendo de actibus internis, actus bonus ex objecto non potest idem numero fieri malus, quia bonitas est illi substantialis, et ideo amissa bonitate mutatur totus actus, ut latius in proprio loco dictum est, et ideo de hoc puncto hæc in præsententi sufficiunt.

10. *Assertio quarta in ordine, respondens quæstioni secundæ positæ in num. 5.* — Ad majorem autem confirmationem veritatis intentæ in 3 assertionem, respondendo ad secundam hypotheticam quæstionem, addimus quod, licet idem actus numero internus haberet ex interno bonitatem moralem cum malitia ex circumstantia, aut e contrario, non esset meritorius de condigno apud Deum. Primo, quia omnibus pensatis, talis actus non haberet dignitatem qua posset Deo placere, et ab ipso acceptari: *Mundi enim sunt oculi Dei, et ad malum respicere non potest*, Habacuc 1, et ideo neque ad bonum illud quod aliquo malo fœdatum est respicere potest, ita ut illi placeat, vel ad præmium illud acceptet. Secundo, quia nullum præmium promissum est a Deo propter tale opus, ut ex testimoniis

allegatis constat; ergo signum est non esse acceptabile a Deo ad præmium. Quin potius scriptum legimus, Jerem. 48: *Maledictus qui facit Dei opus negligenter.* Unde Basilius, libr. seu serm. 2 de Baptism., cap. 8, ubi ex professo probat non esse acceptum Deo opus præcepti non competenter seu legitime factum, declarat autem illud non ita fieri, *quod vel præter locum debitum, vel præter temporis opportunitatem, vel præter personæ decorum, vel præter causam, vel præter mensuram, aut præter ordinem, sive præter animi propositum agitur.* Similia videri possunt in Chrysostomo, Homil. 13 in Matth., in Imperfecto. Et potest tertio idem confirmari, quia tale opus non potest dici opus pietatis, et consequenter neque est opus gratiæ; ergo nec meritorium, nam, ut ostendemus, non sunt meritoria opera nisi quæ sunt ex gratia. Quarto denique, si idem opus posset esse bonum ex objecto, et malum ex circumstantia, posset esse non solum veniale, sed etiam mortale peccatum, retenta eadem bonitate ex objecto, et ita idem actus de se posset mereri damnationem æternam, et simul mereri præmium apud Deum, quod absurdissimum est. Sit ergo certum solum opus sincere et pure bonum (ut sic dicam) esse meritorium de condigno apud Deum, et opus simpliciter malum, quale est omne illud quod habet aliquem moralem defectum, esse tantum demeritorium apud Deum, sive illi malitiæ possit esse admista aliqua bonitas in eodem actu, sive non possit, ut probabilis est.

11. *Assertio ultima resolvens quæst. 3 et 4 positas in num. 5. — Probatur assertio.* — Addo vero ultimo accidere interdum posse ut actui simpliciter bono et meritorio simul conjungatur aliquis actus leviter malus, qui non destruet in actu concomitante rationem meriti, licet ipse per se pœnam aliquam mereatur. Hæc assertio potest sumi ex D. Thoma 2. 2, quæst. 83, art. 13, præsertim ad 1, quatenus ait meritum ejus, qui ex instinctu Spiritus Sancti ad orandum accedit, durare quamdiu orando ex eadem intentione perseverat, licet attentionem amittat, et ex aliqua infirmitate mens ejus evagetur. Si tamen divus Thomas attente legatur, non loquitur de mentis evagatione culpabili ex negligentia, sed inculpabili ex infirmitate, ut in solutione ad 3 declarat, ubi potius addit quod, *si quis ex proposito in oratione mente evagetur, peccat, et orationis fructum amittit*, cum tamen peccatum illud solum sit veniale. Nihilomi-

nus assertio posita probari potest in hunc modum. Duobus enim modis intelligi potest. Primo, ut intelligatur operi meritorio posse admisceri demeritum, non secundum eandem partem seu indivisibilem durationem, sed secundum diversas, et veluti per quamdam operis meritorii interruptionem, et sic est res clara. Nam si opus meritorium habeat successionem, ut est, verbi gratia, recitatio unius Horæ, fieri potest ut oratio optimo merito inchoetur et paulo post per negligentiam venialem aliqua vana cogitatio misceatur, iterumque statim rejiciatur, et oratio debito modo continuetur; tunc ergo orationis meritum, quod in principio habuit, non perditur propter subortam venialem culpam, neque etiam illa impedire potest quominus, illa rejecta, ad orationis meritum redeatur, ut est per se clarum. Alio modo intelligi potest assertio pro eadem omnino duratione, et sic in ea supponitur posse hominem simul habere duos actus, quorum unus non sit circumstantia alterius, etiamsi unus habitudinem aliquam ad alterum habeat. Quod quidem per se et ex principiis philosophiæ est satis probabile, et experimento videtur posse probari; nam qui facit bonum opus, verbi gratia, communicat coram aliis, potest id non facere ut videatur ab aliis, sed optima intentione, et debito tempore, loco, et modo, ac proinde actum religionis simpliciter bonum ac meritorium efficere. Et nihilominus simul et eodem tempore potest insurgere cogitatio et delectatio quod propter illum actum bonus ab aliis reputetur, et quod in illo actu morose et voluntarie complacere, non sine veniali culpa. Nam hi actus non repugnant esse simul, ex eo solum quod plures sunt; suppono enim ex aliis locis philosophiæ et theologiæ posse animum simul pluribus intendere, quando et attentio ipsa minor est in singulis, et præcipue si illa inter se aliquam habitudinem observent; utrumque autem in præsentia facile potest concurrere. Nam actus meritorius non semper est ita intensus, quin det locum alteri cogitationi, cujus materia et objectum sit ipsemet actus bonus; poterit ergo tunc voluntas de eodem actu, aut de laude et opinione ejus vane complacere. Neque etiam repugnant simul isti actus propter peculiarem oppositionem quam inter se habeant. Nam, licet unus sit bonus, et alter malus, sunt omnino disparati, sicut assensus verus et falsus diversorum objectorum, et actus malus non est circumstantia actus boni,

quia non est finis ejus, ut supponimus, neque alia circumstantia ibi locum habet; nam potius actus malus supponit bonum cum suis circumstantiis, et hic est quasi objectum alterius, quod etiam non repugnat, quia ipsa virtus potest esse materia circa quam malus actus versetur. Hoc ergo modo non repugnat cum actu bono simul esse aliquid demeritum ratione alterius concomitantis actus.

12. *Ad suasionem positam in numero quarto. — Ad primam confirmationem. — Ad secundam.* — Atque hoc ad summum probat ratio dubitandi in principio posita; nam quando actus sunt distincti, optime discernitur bonum a malo, et opus gratiæ a defectu naturæ, vel tentatione dæmonis. Necessarium autem est, ut malum non transcendat malitiam venialis peccati, quia si peccatum mortale sit, destruet gratiam et charitatem, et consequenter tollet radicem meriti de condigno, etiamsi cum actu bono simul esse possit, ut voluntarius actus fidei internæ potest simul esse cum voluntate negandi illam exterius, quæ peccatum mortale est et ideo tollet meritum talis fidei; si autem quis simul cum fide interna haberet voluntatem confitendi illam propter honorem humanum, licet in hoc peccaret venialiter, non amitteret meritum internæ fidei. Ad exempla vero adducta in prima confirmatione, respondetur in illis omnibus nullum fuisse meritum de condigno; an vero fuerit aliquid meritum de congruo, postea videbimus, et videri etiam potest D. Thomas, infra, quæst. 114, art. 10, ad 2, ubi exemplum de obstetricibus exponit juxta quartam assertionem nostram, nam potuerunt habere duas voluntates: unam, qua timuerunt Deum ne occiderent parvulos Hebræorum; alteram, qua mentitæ sunt, quæ non fuit circumstantia prioris, et ideo potuit in priori esse meritum, non obstante posteriori. Idemque de Raab dici facile potest, ut ex historia constat. In rege autem Babylonis revera nullum fuit meritum, ut D. Thomas etiam significat, quia, in ipsomet actu debellandi Tyrum, Nabuchodonosor pravam intentionem habuit, quia, non ut Deo serviret, sed ut per vim dominaretur, Tyrum impugnavit. Deus autem dicitur retributionem seu mercedem ipsi et exercitui ejus tribuisse, non per comparisonem ad meritum regis, sed per comparisonem ad suam motionem, ut ait D. Thomas, id est, ut ostenderet sibi placuisse supplicium Tyriorum, etiamsi ad

illum usus fuerit peccato regis Babylonis, non instigando, sed permittendo. Ad ultimam confirmationem respondetur imprimis, probare ultimam assertionem; deinde dicitur, forte ita esse, quod multa putantur merita apud homines, quæ apud Deum talia non sunt, et ideo necessarium esse justis cum timore et tremore et magna circumspectione suam salutem operari. Tandem vero dicimus in justis frequenter esse posse opera pure bona sine ulla malitia, ut contra hæreticos hujus temporis Concilium Tridentinum docuit, et supra l. 1 et 10 diximus.

## CAPUT V.

UTRUM AD MERITUM REQUIRATUR OPUS SUPEREROGATIONIS SEU CONSILII, VEL POSSIT ESSE ETIAM IN OPERE PRÆCEPTO?

1. *Opinio Cisterciensis' excludens a merito opus præceptum. — Ejus fundamentum primum. — Secundum. — Tertium.* — In hoc puncto fuit quædam singularis opinio, dicens opera præceptorum non esse meritoria apud Deum de condigno ac justitia, sed tantum opera bona, quæ sponte sua homo facit sine obligatione præcepti. Ita tenuit Dionysius Cisterciensis, in 3, quæst. 2, art. 3, sub initium, et quæst. 3, art. 2, concl. 8, et nullus alius quem viderim. Fundari potuit primo in verbis Luc. 17: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Secundo, potest inde formari ratio, quia servus nihil meretur apud dominum, eo quod præcepta ejus impleat, nec debitor aliquid apud creditorem meretur, reddendo illi quod suum est, quia revera nihil illi confert de suo; ergo neque homo, implendo præceptum divinum, potest per illum actum mereri aliquid apud Deum, quia id plusquam ex justitia debitum Deo est. Simili enim ratione utitur Durandus in 2, d. 27, quæst. 2, ut probet apud Deum non posse esse meritum de condigno, cui merces ex justitia debeatur, quia quidquid Deo offertur, magis est illius quam hominis operantis, et multo magis urget quando accedit debitum ex præcepto. Tertia ratio addi potest, quia præceptum interdum tollit omnem libertatem, ut in his qui præceptum transgredi non possunt, ut in Christo, Beata Virgine, et aliis in gratia confirmatis, in quibus illud locum non habet: *Potuit transgredi, et non est transgressus*, et consequenter neque illud: *Ideo stabilita sunt bona ejus in*